ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

18-11

ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

ORATIO MAGNIFICI D. BARTHOLOMAEI COMITIS PVRLILIARVM ET BRVGNARIAE, DIE CINERVM IN CAPELLA SANCTISS. D. N. HABITA.

ANNO 1562.

VI inanis gloriæ cupidi, beatiſsime Pater, ſe literarum ſtudijs totos tradiderũt, vt inde præclariſsima ingenij monumenta promẽtes, immortalis ſibi nominis famã compararent, cibo ſe plerunq; abſtinere conſueuerunt, hanc ob cauſam, ne ſuauitate ſenſus delinitus animus ab his abduceretur, quæ vt ſummo labore acquiruntur, ſic maximam apud omnes admirationem excitant: ſed qui veræ & æternæ gloriæ ſunt ſtudioſi, & ſapientiã illã ſequũtur, quæ hominibus res humanas contemnẽtibus & piè ac ſanctè viuentibus immortalitatem tribuit, ventri minimè indulgere ſolent, vt abſtinentia (virtute nobiliſsima) eas corporis effrenatas voluptates (malorum eſcas) quæ ex immoderata viuendi licentia oriuntur & creſcunt, fugiant. Admirandũ ſanè remedium, quo cupiditates,

quæ nobiſcum natæ & nutritæ ſunt, moderemur, quo minus nobis impedimẽto ſint, ne animos attollere, & diuina contemplari poſsimus. Hoc Chriſtianæ Reip. ſalutare remedium, hoc præceptum fructuoſiſsimũ exhibet hodierno die ſancta mater Eccleſia, nosq́; ad ieiunium hortatur, hoc eſt, ad corporis luxum, grauiſsimũ animæ morbum tollendum, ad oculos in Deum rerum omnium auctorem dirigendos: idq́; dum ſingulis annis facit, curam ſalutis noſtræ ſe habere oſtendit, ne pertinaciæ atq; incontinentiæ, vbi ex hac vita deceſserimus, pœnas luamus. Nũc ieiunij & abſtinentiæ fructus breuius quàm poſſum explico, vt ſanctæ matris Eccleſiæ pietas agnoſcatur. Inter omnia quæ miſerrima primo illi humani generis parenti contigerunt poſtquam Dei Opt. Max. mandata neglexit, illud in primis fuit, vt continuò inter ſe caro animaq́; pugnarent, neq; altera alteræ,

ræ, niſi vi coacta parêret: quod quidem eò magis miſerandum fuit, quòd ad omnem poſteritatem tanta peruenit calamitas, periculoſum, imò potius horribile prælium, in quo vt innumerabiles (proh dolor) ceciderunt & cadunt, ſic pauci Chriſtum ducem agnoſcentes, & matri Eccleſię parentes inſignem & glorioſam victoriam ſunt cõſecuti. Senſit hoc bellum diuino numimine afflatus Paulus, cum aliam legem in membris ſuis cũ Dei lege dimicare querebatur, & ſe miſerum appellabat: quo ſanctiſſimi viri teſtimonio, quantopere ſit exitus prælij timendus agnoſcimus. Verum ſi ex his alterum vincere debet, reliquum infirmum & imbecillum reddatur neceſſe eſt. Faueat igitur ſpiritui qui Deo placere exoptat: vincat animus, triumphet immortale, & corruat corpus, pereatq; mortale, nõ vt omittatur, ſed vt glorioſius quandoq; aſſumatur. Hoc ſaluator ipſe nos docuit,

hoc nobis documentum Deo accepti viri reliquerunt. Sed si homines auxilium spiritui ferre volũt, corporis primum delecta tiones amouere, & animi mollities eijcere ſtudeant, ex quibus, veluti à fontibus, vitia omnia & ſceleſta quæq; facinora originem trahũt. Namq; quid eſt quod animam perturbat, quod mentem deprimit, quod cor hominum ambitione inflammat, quod ignauiæ nebulam ſpargit, quod in hominibus libidinum ardores excitat, quod pudorem tollit, niſi luxus, niſi carnis oblectationes? Illæ, illæ ipſæ, vt Sirenes cantu, fuco & pigmẽtis illitæ mortales ad pernicie allicĩunt: his Reſpub. his Regna, his Imperia perierunt. Has furias abſtinentia domandas ſanctiſsimi viri exiſtimarunt. Hæc eſt, Pater ſanctiſsime, virtus, quę animam purgat, mentem ſubleuat, corpus ſpiritui ſubijcit, homines humiles reddit, inſcitiæ tenebras diſſoluit, & pudicitiæ lumen accendit. O

reme-

remedium admirandum & planè diuinũ, quo caro domesticus, idemq; pernitiosus inimicus deprimitur, & eodem tempore attollitur animus. Hoc ipsum munus, cœli & terræ moderator & bonarũ rerũ omniũ auctor Christe, tibi acceptum referimus, quãdoquidem pro summa tua benignitate illo coram mortalium oculis, vt nobis præberes exemplum, vsus es. Tibi verò Pont. Max. quod illud idem in hunc vsq; diem obseruari imperas, & tempora aptè atq; accõmodè ex veteri instituto disponis, multum etiam debemus. Nam huic præcepto parentes multi vrbes, nonnulli diuitias, pleriq; honores apud veteres reliquerunt, & deserta loca atq; antra habitarunt, vt vnico, & eo perpauco cibo contenti, has corporis voluptates penitus expellerent, & diuina beneficia cogitantes & commemorantes immortalitatem cõsequerentur. Multi tranquillitatẽ animi sobrietate & ieiu-

iunio ſibi parauerũt. Quemadmodũ enim epulis libidines excitantur, & malæ cogitationes, & prauæ cupiditates naſcuntur, quibus in hoc ſi non vaſto, profundo tñ vitæ pelago veluti fluctibus iactantur hoíes, ita abſtinentia frigent ardores illi, ceſſant venti, & tranquillitas maxima comparatur. Verùm enimuerò quæ deuicta carne ſit pax, quis cõquieſcẽte procella ſit ſtatus, la tet neminẽ: oía pacata, oía libera cõſpiciũtur: iã mẽs ipſa vt pugnæ præmiũ & palmam accipiat, non voluptatibus impedita, non illecebris detenta ad cælum, ad diuina tendit, quò prius mollis nimium ſe ipſam attollere nec audebat, nec poterat. Quocirca Moyſes ille Deo chariſsimus, idemq; diuina viſione feliciſsimus, antequam acciperet legem, quadraginta dierum ſpatio ieiunus fuit, & Daniel prĭuſquam diuina contẽplaretur, vigintiquinq; diebus ſe à ſuaui cibo abſtinuit. Noſtis quid hæc ſignificẽt.

Do-

Docent arcana illa Dei non intelligi, non percipi dum voluptatibus indulgemus, dũ corpori tanquam tyranno ſeruimus, dum prælium committitur: ſed tantummodo cũ receptui tubæ canunt, & caro victrice abſtinentia iacet. O nos felices, ſi iuſsibus Eccleſiæ hodierno die paruerimus, & inter eos adnumerari voluerimus, qui contra voluptates & ſenſuum oblectamenta ſumunt arma. Licet enim in initio cum glorioſiſſimo viro aliquis noſtrum ſe miſerũ ob tale tantumq; bellum exiſtimaucrit, tãdem aliquando parta victoria cum eodem rerum omnium Principe, & Chriſtianæ Reipub. Imperatore humanam infirmitatem adiuuante exclamabit, cupio diſſolui, & eſſe cũ Chriſto. Nulla vtor amplificatione: ineptũ eſt de rebus ſacris agentẽ ingenij & eloquentiæ famam aucupari: vſus quos affert ieiunium tantummodo cõmemoro. Prodeſt corpori: cũ illud ab ægritudinibus de-

fendat: prodeſt animo, cum ei ad cælũ progrediendi impedimenta amoueat: confert ſingulis, dum incolumitatis eſt cauſa: confert Reipub. Chriſtianæ, & præſertim egẽtibus, dum eiſdem vberius alimenta impartiuntur: beatos verò cunctos unà reddit, dũ pellitur luxus, eriguntur mentes, & quod maius eſt, remittuntur delicta. Teſtis eſſe poteſt vrbs illa Niniuitarum, quæ cum ei euerſionem minaretur Deus Opt. Max. fletu & abſtinentia (diſcite mortales, quales ſint hominum ieiunorum preces) rerum omnium Parentem iratum mitigauit, & dexteram illam, quæ cœlum terramq; regit, ad eius perniciem paratam, placidam ſibi lenemq; reddere potuit. Teſtis eſt hodierno die vir plenus Spiritu ſancto, qui ſaluatoris noſtri mentem aperiendo exclamat, Conuertimini ad me in ieiunio, & fletu, & planctu: vt nobis ſignificet his præcipuè diuinam iram placari. Sed omittantur

cætera

cętera omnia, quid eſt quod tantam habeat vim, quàm vox illa (quæ vtinam ſingulis diebus mortalium auribus circumſonaret) Memento homo quia cinis es, & in cinerẽ reuerteris? Nam ſi ſæpe animo voluerimus hanc eſſe immutabilem naturæ legem, vt omnia orta occidant, & tanquam fumus vel vmbra prætereant, qua ratione fieri poterit, vt in huius vitæ curriculo non ita verſemur, quaſi ſingulis horis in alium locum ſimus migraturi? Omnia ſunt cinis, & in cinerem reuertuntur. Vrbes, quæ iam diu floruerũt, Athenæ, Carthago, Corinthus, regna Medorum, Perſarum, Macedonũ, imperia Græciæ, Romanum illud terrarũ orbi æquatum cõciderunt: non doctis hominibus volumina conſcripta, non exercitibus clades, non populis bella, non ducibus victoriæ, non imperatoribus triumphi profuerunt, quin perierunt, & miſerrimi, quemadmodum etiam obſcuriſsimis acci-

dit, cineres sint facti. Nos tantummodo, nos inquam, quibus veritatem cognoscere datum est, longiorem vitam quàm vrbes, quàm regna, quàm imperia viuere poterimus, si veniam delictorum à Deo obtinuerimus. Quod quidem facilè assequemur, si mentem à sceleribus, à malis cogitationibus, à prauis cupiditatibus custodierimus, & abstinentia ac ieiunio luxum & incontinentiam sustulerimus: & ita conuersi erimus ad Dominum: tunc enim & ipse (sicuti scriptum est) ad nos conuertetur. Paucis vt multa complectar, si Christum sectari, si sanctissimos viros imitari, si Ecclesiæ parêre, si postquam cinis semel fuerimus, immortales fieri volumus, conuiuia deseramus, immoderatum ciborum vsum omittamus, & ieiunio cõuertamur ad Dominũ. Quod sanè hoc potissimũ tempore faciendum est, quo satis, superq; voluptatibus indulsimus, & humiles atq; ieiuni exemplo his

his esse poterimus, qui mandatis Dei, & matris Ecclesiæ aduersantur: quos quidem vt mira tua, Pie Pont. Max. sapientia & feruens charitas ad sanctum ouile perducere studet, sic fortasse rectè hominum institutę vitæ ratio eos quàm maximè commouere poterit, & iam te vniuersalis Ecclesiæ summum moderatorem agnoscendo humillimi tibi assistent, vt iustissimis sanctionibus morem gerant, & sanctissimis tuis pedibus affigant oscula.

DILINGÆ EXCVDEBAT
SEBALDVS MAYER.

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MUENCHEN